

B. M. II, 105.

460, 17

X 190 3361

h. 22, 17.



L. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA

De

# CIVITATIBUS

## HANSEATICIS,

Quam

DIVINIS AUSPICIIS,

Sub

PRÆSIDIO

### M. THEODORI KIRCHMAJERI,

Franci,

*Publicæ disquisitioni sistit*

### ERNESTUS MAURITIUS ab Arnstadt/

Eqv. Saxon.

WITTEBERGÆ, Ad d. VII. Julii,

M. DC. LXIX.

IN AUDITORIO MINORI,

Horis antemeridianis.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



G. D. N.

DISSERTATIO HISTORICA

CIVITATIBUS

HANSEATICIS

DIVINIS AUSPICIIS

PRÆSIDIO

M. THEODORI KIRCHMAYERI

Franci





Σὺν Θεῷ!

## PROOEMIUM.

**N**on omnis fert omnia tellus. *Va-  
ria Natura est, & variè sua  
distribuit munera. Ibi gemmae  
luxuriant & metalla, alibi vel  
segetes vel aromata. Ut quæ-  
vis regio habeat necessaria, fa-  
tali bonò inventa Mercatura est. Hæc, quæ  
superfluunt, exportat, quæ desunt, suppeditat.  
Imò hodiè tanta rebus pp: plerisque attulit in-  
crementa, ut inter columina earum meritò nu-  
meretur. Ne autem facilè commerciorum ra-  
tio impediatur, nec liberum lupo sit grassari in  
agnellos, prudenti consilio in mutuam defen-  
sionem fiunt confœderationes. Nôrunt hoc Angli,  
nôrunt Belgæ, nôrunt Veneti. Quin nec Civi-  
tates Hanseaticæ ignorârunt olim; Loquun-  
tur passim scripta, & de laudabili illarum te-  
stantur propositò. Dum operæ pretium est, nul-  
li pigrabimur hâc de societate dicere impræ-  
sens, &, quæ præ cæteris notatu erunt digna,  
breviter afferre. Deus conatui addat pondus!*

CAPUT I.  
De  
ETYMO CIVITATUM  
HANSEATICARUM.

§. I.

**N**ihil in originandis vocibus anti-  
quius certius, quam ipsa est incerti-  
tudo. Sæpè equidem alludimus, sed sæpè  
etiam eludimur. Vix verum aliquando da-  
tur assequi; quanquam non ut verum de-  
monstrando, sed ut probabile conjiciendo. Videntur illæ  
origines pleræque cum ipsis seculis intercidisse. Hansea-  
ticæ unde & cur dicantur confœderatæ in mercaturâ civi-  
tates, dilucidè non patet. Referendæ tamen Autorum  
sunt sententiæ. *Adrianus Junius* cap. 9. histor. Batav. pa-  
gin. 73. & 99. ut & *Besoldus* in disert. de jure Civit. Imper.  
& in thes. Pract. verbo *Hanseestadt* / vocabuli hujus nata-  
les ab idiomate Gothorum petunt, vi cujus olim Hansi si-  
gnificabant eos, qui ceteros mortales opibus fortunâque  
antecelluerunt, heroum & semideorum conditioni proxi-  
mi, ac velut humanæ sortis terminos egressi. Tales erant in  
gente Gothicâ nobilitatis ac dignitatis primariæ viri, quos  
occasione certâ hoc nominis sortitos ex conflictu, quò Ro-  
manos superârant, memorat *Jornandes*. Ita enim lib. 17. de  
rebus Geticis: *Tum Gothi baud segnes reperti, arma capes-  
sunt, primoque armati conflictu, mox Romanos devincunt,  
Fuscoque duce extincto, divitias de castris militum despo-  
liant, magnaque potiti victoriâ, jam proceres suos, quasi  
qui fortunam vincebant, non puros homines, sed semi-  
deos, id est, Hanses vocavere.* Nec hodieque in totum illa  
vocula abolita est. Nam adhuc in plurimis locis, præsertim  
verò

verò in inferiori *Saxoniâ* ac *Westphaliâ*, si qui supra sortem suam haberi velint, per ironiam Hansi appellantur, dat *wil- len grote Hânse sien*. Ab hoc fonte (cei observat *Schottelius* in op. de lingv. Germ. l. 2. cap. 12. pag. 500.) multa promanant appellativa, ut *Anshelmus*, heros galeâ in signis, *Hanshelm*; *Ansbrechtus*, fortunâ Hansi dignus, *Hanswert*; *Ansfrius*, pacificus heros, *Hansfried*; *Answaldus*, potentiâ præstans, *Hanswaltig* &c.

§. II. Alii Civitates Hanseaticas deducunt ab *an See* / quod mari sint adsitæ. Ita *Arumæus* discurs. 6. ad Auream Bullam thes. 10; ita *Paul. Matthias Wehnerus* observat. præct. verb. *Hansestadt* / ita plures. Quos tamen omnes redarguit *Joh. Isacius Pontanus* Origin. Francic. l. 2. tam ex situ ipsarum urbium, quarum perpauca mari adjacent, quàm quod nec patiatur ejusmodi flexionem verbi indoles; cum *hansen* / *verhansen* & *Hansestadt* additâ perpetuò adspiratâ soleant pronunciare Germani; Græci verò Latiniq; emollientes vocis sonû omittant *h* / utpote quod nec in literis, Græci potissimum, agnoscunt. Nec desunt etiâ, qui existiment, Hanseaticas primùm esse dictas *Handelstädte* à commerciis, quibus operam navant, post levi factâ immutatione *Hanselstädte* / & denique omisso *l* *Hansestadt*. Cujus rei fundamentum ponunt in eo, quod veteribus *Hansgrave* idem erat ac *Handelgrave*. Extat privilegium *Friderici II. Imp.* Ratisponensibus datum ap. *Wig. Hund.* in metrop. *Salisb.* p. 1. quò cives sunt adepti potestatem eligendi *Hansgraviarum*, qui disponat extra civitatem tantùm, quæ negotia mercaturæ concernunt. Ulterius verò processerunt isti, qui rationem etymæ desumunt ab *Hand*. Certè si inde deducenda fuerat vox, proximius ab *handelen* deduceretur. Est enim, *Limæo* annotante, hoc ab *Hand* / quod manus in commerciis, quæ dando & accipiendo perficiuntur, sit maximè officiosa.

§. III. Omnium optimè videntur egisse citatus *Limæus* I. P. lib. 7. cap. 1. *Joachimus Hagemejer* in de fœdere

Civit. Hanseat. c. 1. & *Henricus Sudermann*, Ictus Colo-  
niensis & per quadraginta annos foederis Hanseatici con-  
siliarius, qui Civitates Hanseaticas à priscò Germanorum  
vocabulò, *Hansâ*, derivant, quod societatem, foedus, colle-  
gium & congregationem significat; prout istud inter alia  
patescit ex ejusmodi antiquo Codice Testamenti novi, ubi  
pro eò, quod Latinè dicitur, Consilium fecerunt in unum,  
Germanicè legitur, fecerunt Hanzam. Confer. *Honorius*  
thes. polit. Vol. 2. pag. 276. Atque hùc inclinant etiam  
*Goropius Becanus* lib. 3. Francicorum, & *Petrus Bertius* lib. 3.  
rerum German. c. 4. Quamquam ille in eò erret, quod  
Ansam ortam esse velit ab *an sie* / respicio vel rationem cu-  
juspiam in re quâdam gerendâ habeo. Quin & sententiæ  
huic non parum roboris accedit ex lingvâ Gallorum, qui-  
bus hanfer un homme est le recevoir en la compagnie des  
burgeois d' une ville, pour jouir des franchises & privi-  
leges des bourgeois, h. e. eum recipere in societatem civium,  
ut immunitatibus ac privilegiis eorundem fruatur.

§. IV. Habent autem varia nomina in Recessibus  
Imperii prædictæ civitates. Vocantur enim (1.) *Hayn und*  
*See-Städte*. Ita in *Reichs Abschied zu Speyer* de Anno  
1544. §. *Demnach haben wir auf etc.* Ita R. A. zu *Regen-*  
*spurg* de Anno 1557. §. *Wir wollen auch aus gleichen Be-*  
*dencken.* R. A. zu *Augsburg* de Anno 1566. §. *die Hayn- und*  
*See-Städte* belangend. R. A. zu *Regensburg* de Anno  
1567. §. *Auf daß denn auch etc.* Item de Anno 1576.  
§. *Wir wollen auch.* Ubi *Hayn-Städte* non sunt *Fischer-*  
*oder See-Städte* / prout inferri illud posset ex significatu  
Gallici vocabuli *Hain* vel *Haim*; sed *grosse Städte* / parti-  
culâ *Hayn* ab *Hunnis*, quorum procera erat statura, de-  
sumtâ, & idem quod *magnus* denotante. Majores enim  
nostri *Hunnos* dixerunt *die Hayne* / & *grosse Haynen* eos,  
qui corporis mole *Hunnos* æqvabant. Imò adhuc hodiè  
in aliquibus locis uvæ ac pira majora appellantur *Hayni-*  
*sche Weinbeer* / *Haynische Birn*. (2.) *See & Anseestädte*.  
Ita

Ita Anno 1521. §. 26. Der Sechste Krens. Verb. Bis an die See etc. & Anno 1540. §. Und als erstlich. Item fol. 323. ubi legitur, daß die See- und Anseestädte weder dem Reich/ noch andern Chur- Fürsten / Fürsten oder Herrn unterworffen seyn wollen etc. Unde in seq. solchen zu begegnen §. 48. commissio decreta est umb Bericht ein zu ziehen / wie es umb vielgemeldte See- und Ansee- Städte stehe? Wer dieselben seyn? wie sie genannt? wo sie gelegen? ob und wie sie dem Reich oder anderen Ständen unterworffen? Ex quo refutari possunt illi, qui Civitates Hanseaticas derivant ab An- See. Certè si duæ istæ voculæ notarent idem, non levis committeretur *ταυτολογία*; quæ tamen in ejusmodi scriptis publicis & exulat, & exulare meritò debet.

## CAPUT II.

De

# INITIIS, PROGRESSU, NUMERO AC DIVISIONE CIVITATUM HANSEATICARUM.

§. I.

Quæ vel nostrò eveniunt ævò, vel paullò istud antègressa sunt, non admodùm fatigant sensus. At ex ultimis seculis certam notitiam haurire velle, plenum difficultatis opus est. Consumit omnia vetustas & nec durissimo parcit metallo. Ita tempore pereunt res, tempore perit aut minuitur illarum memoria. Quin ad quos pertinebat scire, quæ à Majoribus sunt bene acta, eorum sæpè ipsi ignarissimi existunt. De initiis Civitatum Hanseaticarum magna inter Autores est discrepantia. Nonnulli eas anno 1270. coaluisse asserunt, alii verò alio. Quantum ex antiquissimis conjicere documentis licet, civitates quædam Vandalicæ, quas inter Lubeca cum primis & Ham-  
bur-

burgum, ut mercaturam exercerent liberè, ante seculum XII. societatem inierunt. Quâ occasione, cùm aliæ postmodùm sub certis legibus accederent, nata est confœderatio, quam Hanseaticam vocamus. Atq; hoc corpus, primùm quidem debile, paulatim tamen sociorum numero, potentiâ atq; opibus usq; adeò excrevit, ut vicini exteriq; principes amicitiam ejus quasi affectârint. Imò, quod majus est, septentrionales Reges tanti olim confœderatas fecerunt civitates, ut ipsarum arbitrio maximi momenti controversias decidendas submiserint. De quò audiendus *Petrus Bertius*, qui citato loco; *Hoc, inquit, constat, earum ope gravia bella olim fuisse composita, discordias vicinorum Regum Principumq; sopitas, pacem restitutam, quod magnum crederetur momentum ipsarum potentia allatura, si sese alterutri parti adjunxissent: Meritò ut societas Teutonica sequestra pacis, publicæq; per Germaniam tranquillitatis procunatrix multis jam seculis habitæ sit.*

§. II. Quod ad Civitatum numerum attinet, *Thuanus* lib. 51. historiarum ex  *Davide Chytreo* plures octoginta constituit. Alii tamen ponunt pauciores. *Matthias Stephani* Lib. 2. P. 2. C. 3. de Jurisdic. plenum earum exhibet catalogum, atq; membra hujus Hansæ refert Lubecam, Bremam, Rostochium, Stralesundium, Wisnariam, Thornam, Elbingam, Dantiscum, Regiummontem, Brunsbergâ, Rigam, Derbatum, Revaliam, Stetinum, Stadium, Ulzeniam, Buxtehudam, Stargardiam, Anclamum, Golnoviam, Chilonium, Hamburgum, Lunenburgum, Gryphiswaldiâ, Colbergam, Coloniam, Osnabrugam, Sufatum, Mindam, Hervordiam, Padebornam, Lemgoviam, Tremoniam, Monasteriû, Neomagum, Daventriam, Zutphaniam, Svollam, Hartovicum, Gröningâm, Weseliam, Duisburgum, Elburgam, Stavariam, Ruræmondam, Arenacum, Campos, Bolswerdam, Lippiam, Onnam, Hammâ, Emmericam, Warburgum, Bielefeldam, Wenloum, Brunsvigam, Magdeburgum, Halam, Stendaliam, Salisqvellam, Berolinum, Halberstadium, Hildesum, Goslariam, Göttingam, Hannoveram, Hameliam, Quedlin-



Qvedlinburgum, Ascherslebam, Northeimium, Helmsta-  
dium, Wisbuos, Uratislaviam, Cracoviam, Francofurtum  
ad Oderam, Brandeburgum, Gosfeldiam, Stolpenam, Ru-  
genwaldiam, Seehusam, Osterburgum, Werbenam, Dem-  
minium. Quantum hâc in parte viro sit tribuendum, nobis  
quidem non constat. Illud ex fide Hagemerianâ certum  
est, quod Anno 1494. in Comitibus Lubecensibus adhuc 72.  
superfuerint, & Anno 1554. sexaginta sex. Ceterum quam-  
vis totidem nō amplius ad societatem pertineant, sed multæ  
imbecilliores spontè abierint à toto, nonnullis etiam pro-  
pter amissam libertatem exclusis; durat tamen hodiernum  
inter præcipuas urbes (quales sunt Lubeca, Brema, Ham-  
burgum, Dantiscum, Brunsviga, Colonia, Magdeburgum  
aliæq;) illustre fœdus Hanseaticum. Ut frustra sint ac me-  
ritò deridendi illi Informatores fisci Anglicani, qui ante de-  
cennium contra Guildehallam Germanorum *Londini* in  
Parlamento pronunciârunt, quod fœdus Hanseaticum de-  
serit esse. Tacebo recentiores Imperii Constitutiones:  
Certè in Galliâ, Hispaniâ, Sveciâ, Daniâ, Moscoviâ, Poloniâ,  
Belgio adhuc & agnoscuntur Hanseatici, & juribus suis,  
tanquam fœderatum corpus, fruuntur.

§. III. Sunt autem universæ eorum Civitates pri-  
mum in tres, post, Prussicis adjunctis, in quatuor circulos  
s. classes distributæ, quarum unaquæq; suâ gaudet metropoli,  
quæ peculiari nomine dicitur *die Quartier-Stadt*.  
Caput primi circuli s. *Quartirii* & totius simul corporis  
Hanseatici *Lubeca* est, urbs maximè potens, & archivo æra-  
rioq; communi clara, complectens sub se ex œconomiâ  
Hansæ Civitates Vandalias & Pomeranicas. Quam exci-  
pit *Colonia Ubiarum*, secundi circuli amplissima metropolis,  
sub quâ comprehenduntur Civitates Clivicæ, Marchicæ,  
Westphalicæ, Geldricæ, Transsalaricæ & Frisicæ. *Georgius*  
*Hornius* Orb. polit. P. 2. p. 101. Anno 1481. demum hanc ac-  
cessisse fœderi affirmat. Sed malè. *Kranzius* enim si consu-  
lamus lib. 7. Daniæ c. 39. jam anno 1358. in hâc ipsâ urbe  
bellum ab Hanseaticis adversus *Waldemarum VI.* Daniæ  
Regem est decretum, quò Hafniam aliq; loca cum freto

B

Ore-

Oresundico occuparunt. Quia multò ante Colonia se-  
 cessionem fecit, & ante etiam, Anno videlicet 1475. ad in-  
 stantiam Imperatoris & Archiepiscopi Coloniensis, factâ  
 priùs satisfactione denuò recepta est, teste eòdem *Kranzio*  
 lib. 15. Vandal c. 27. Tertiæ classi *Brunsviga* præest, Civi-  
 tatesq; Saxonicas jam ultra quatuor secula subordinatas  
 habet, ut patet ex Parte 1. der gerichtlichen Acten der  
 Stadt Braunschweig Huldigung betreffende, pag. 32. Ex-  
 clusa quidem hæc à fœdere est Anno 1377. ob aliquod deli-  
 ctum; cùm verò quartò annò post in publico conventû  
 Lubecensi publicam egit poenitentiam, nudoq; capite &  
 nudis pedibus cereos è D. Mariæ templo in prætorium  
 portavit, ibiq; ingenuculata veniam petiit, communi socio-  
 rum suffragio corpori redunita est, ut idem refert 9. Van-  
 dal. 7. Quartus deniq; circulus pro capite agnoscit *Dan-  
 tiscum*, urbem nobilissimam Borussia, & regno Polonico  
 maximè fidelem; cui ex confœderatis quinque aliæ Borus-  
 sicæ, & Livonicæ tres subjectæ sunt, quarum ut & cæte-  
 rarum nomina reperiri possunt apud *Hagemejerum* loc. cit.  
*Παρθυχόν* adjiciendum, quod Teutonicum hoc corpus  
 ordinis Teutonici per Prusiam Magistrum, *Albertum*  
*Brandenburgensem*, quondam suum elegerit Protectorem;  
 sed eò ad Polonos desciscente, huc usq; *ἀνευ προσώτης* re-  
 manserit. Ambierunt quidem dignitatem illam Reges  
 Dania, Sveciæ, ac, si famæ tutò credimus, Hispaniæ quoq;  
 propter Dominium Belgij: item *Franciscus* Dux Alen-  
 conius, in Belgij principem adscitus: Verùm absolutè re-  
 pudiatis illis, vanâ hic lactatus spe est.

### CAP. III.

De

## EMPORIIS CIVITAT. HANSEATICARUM.

§. I.

Optimè sibi de omnibus, quæ in rem faciebant suam,  
 prospexerunt Hanseatici. Ad externos abierunt Prin-  
 cipes,

cipes, & impetratō jure, varia hinc inde emporia constitue-  
runt. Primum eorum *Londinense est* in Angliā, quod ædibus  
publicis, Gvildehalla Germanorum dictis, ornatum, & ab  
*Henrico III.* Secul. XIII. variis privilegiis dotatum est. Occa-  
sio rerum fuit hæc. Postquam *Henricus III.* gravi distine-  
batur bellō, Hanseaticæ Civitates naves complures & auxi-  
lia eā lege suppeditârunt, ut, si quæ caperentur, frangeren-  
tur, perierentvè, eas adnumeratâ ipse pecuniâ solveret.  
Quod tamen ubi cesserat ex votō, Rex, victis hostibus, vi-  
ctoriam reportavit. Sed reditum dum molirentur, tam  
immanis tempestas afflixit classem, ut pleræq; navium peri-  
rent. *Henricus* igitur solvendo impar, cum videret debitum  
ex mora crescere, ita cum Hanseaticis transegit, ut illis di-  
plomate peculiari largiretur in regno suo facultatem per-  
petuò importandi & exportandi merces, solutâ tantum  
centesimâ & ejus dodrante loco vectigalis. Hoc privile-  
gium deinceps à successoribus partim religiosè servatum,  
partim novis etiam ob nova merita adauctum est, usq; dum  
60 Teutonicæ societatis naves ab Anglis spoliatae in vindi-  
ctam sunt earum, quas Dani antea ipsis in freto Oresundicō  
interceperunt. Tūm enim triennale bellum Angliæ ob-  
oriebatur cum Civitatibus; quod tamen interventu *Caroli  
Burgundi*, Trajecti ad Mosam est compositum Anno 1474.  
Ab eō tempore sub *Richardo III.* *Henrico VII.* & *VIII.* Ger-  
mani immunitates suas in Anglia denuò fartas tectas ha-  
buerunt. Cū verò sub *Eduardo VI.* nonnulli Gedanen-  
sium mercatorum temerariō ausu de Polonorum mercibus  
in naves suas impositis suō solverent nomine, atq; ita Re-  
gem bonâ vectigalis parte defraudarent, mercatores Angli  
jamdudum causam venati justam labefactandæ libertatis  
Hansæ, decretum obtinuerunt à Parlamento, quo Civitati-  
bus omne jus ac residentia in perpetuum abjudicata est.  
Varia dehinc inter utrâmq; partem sunt acta. Et quanquam  
post *Eduardum* sub *Mariâ* sorore Anno 1553. pristina jura  
Hanseatici recuperârint; succedens tamen *Elisabetha* nul-  
lis rationibus etiam ab ipso Imperatore *Rudolpho II.* addu-  
ctis potuit moveri, ut salva eadem ac integra manerent.

Vid. Thuanus ad annum 1597. Chytræus in Sax. lib. 23. Metēranus l. 19. & Cambdenus, qui Annalium rer. Anglic. part. 4. sub anno 1595. prolixè excusat Elisabetham. Addatur etiam Tractatus Anno 1609. Lubecæ editus, cui titulus est: *Der vereinigten Teutschen Hanseestädte Verantwortung sambt angehängter protestation wider etliche spargirte Schriffien/ darin der uhralte Hansische Bund für eine verbottene Zigaibel angezogen und ausgeruffen worden. Hodie quidem adhuc subsistunt ibi mercatores Civitatum, sed valdè imminutis privilegiis.*

§. II. Emporio Londinensi succedit *Brugense* in Comitatu Flandriæ. Hoc ab anno 1262. ad annum usque 1488. maximè fuit frequentatum. Exinde autem cum ob seditio-nem captò *Maximilianò* Rege excitatam urbis portus à *Fri-derico* Cæsare obstrueretur, commercium omne, præviò in-dultu *Philippi* Hispaniarum Regis ad Lubecensium roga-tûs Anno 1562. Antverpiam translatum est. Nec multò post de domò privilegiatâ, in quâ propriam haberent jurisdic-tionem mercatores, transactum cum Senatu oppidano, & de-pensis sexaginta Carolorum millibus, amplissimum ædifi-cium, nomine *der Desterlinger Haus*/ extractum est, ac jure hereditariò à tributis & exactionibus immune solennibus ritibus literisq; declaratum. Conf. *Chytræus* in Saxoniâ lib. d. Nostrò tempore, quo negotiatio Amstelodamensis floret, nec mercibus amplius, nec mercatoribus pollet.

§. III. Tertium emporium *Novogardiense* est in Rus-siâ. Patebat hoc per tria secula Hansæ mercatoribus & ma-ximè vigeat. Sed sævam ob perfidiam *Johannis* Mosci An-no 1494. iterum derelictum est, translata commerciorum sede primò Revaliam Livonorum, post anno superioris se-culi quinquagesimo octavo Narvam. Quò mox magno nu-mero excurrerunt Angli, Galli, ac Belgæ, fremente Livoniî ordinis Magistrò, & Archiepiscopo Rigensi de injuriâ Im-perio facta apud *Ferdinandum* Cæsarem querente. Utcunq; fuerit, continuata nihilominus mercatura est & navigatio, impetrataq; simul sub certis privilegiis Anno 1620. à *Deme-ariò* Duce extruendarum ædium licentia. *Quamquam hæc socie-*

societatis negotia, belló Svecicó interveniente, nondum iis in partibus sint restituta.

§. IV. Superest quartum, quod *Bergis* in *Norvegia* fundârunt. Antiqua tempora si respiciamus, de celebritate famæ certat cum prioribus. Multum tamen detrimenti passum est à bellis Septentrionalium regnorum. In primis verò decrescere coepit sub *Christiano III.* cum Danica Nobilitas sordidò allecta quæstu contra Regum privilegia negotiationibus se immisceret. Expostulârunt quidem hâc de re apud Regem per Legatos Civitates, datasq; ab antecessoribus immunitates violari, gravissimè conqvesti sunt. Sed sine successu prorsus. Quamvis enim Rex regiâ fide servaturum se ipsarum jura promississet, modò exempla privilegiorum authentica exhiberentur, iis tamen exhibitis, quasi contra scriptorum tenorem multa sibi arrogâssent, non modò Nobilium Danorum navigationes non inhibuit, sed & opificum collegia, quæ mercatores Civitatum Bergenses suis adjuncta domiciliis communi secum libertate frui patiebantur, penitus abolevit. In hóc, ut & in Londinensi emporiò resident adhuc Hanseatici ministri, qui de subortis forte litibus cognoscere solent. Idem etiam olim in ceteris duobus fuit observatum. Optimè in rem præsentem disferit cit. loc. *Bertius*: Collegio præerat in singulis urbibus (emporii) *Praefectus Senior*, quem alii *Consulem*, ipsi *Aldermannum* vocabant. Is cum *Assessoribus* constituebat *Senatum mercatorum*, habebatq; sibi adjunctum *Secretarium*, *Quæstorem*, *Archimagirum* aliosq; necessariorum munerum administratores, qui cum *Lubecensi Senatu* communicabat, res plerasq; ac controversias dijudicabat, nec dabatur ab ipsorum sententiâ, nisi ad alias Civitates Hanseaticas, appellatio.

## CAPUT IV.

De

# COMITIIS CIVITAT. HANSEATICARUM.

B 3

§. I. Cum

§. I.

Cum Teutonicæ societatis res absque conventibus expediri nequeant in universum, comitia nonnunquam indicenda veniunt. Illa autem sunt vel particularia, vel universalia. Particularia dicuntur, quando Civitates unius circuli conveniunt; universalia, ubi totum corpus. Et hæc à *Lubecensibus* autoritate ac consensu reliquarum quinque Civitatum Vandalicarum indicuntur, atque ex instituto veteri *Lubece* debent haberi. Aliquando quidem etiam, historiâ teste, Coloniae Ubiorum, Hamburgi, Rostochii, Stralesundii, ac Luneburgi celebrata sunt. Sed toties aut bellum, aut pestis, aut alia gravis causa pactionibus obstabat. Binâ saltem vice extra Civitatem Hanseaticam conventum, Anno n. 1491. dum Antverpiæ, urbe Anglis Flandrisq; propiori, de componendis quibusdam controversiis agebatur: Et 1605 Walsradii, Brunsvicensium imminente obsidiõ.

§. II. Dictõ die ubi comparent Civitatum deputati, Syndicus Hansæ Directorii nomine publicas ipsis pro adventu agit gratias, & post deliberanda capita proponit. Totum corpus in duo est divisum scamna. In dextro primas tenent Lubecenses, quos sequuntur Colonienses & Bremenses cum civitatibus Saxonis, Westphalicis, Pomeranicis aliisque. In sinistro autem incipit Hamburgum, pergit Luneburgum cum sociis Clivicis, Marchicis & Belgicis. Probè hîc notandum, quod jus suffragii ferendi non omnes habeant civitates, sed eæ tantùm, quæ usitatas contributiones solvunt, cum iteratâ, si opus, quotifatione. Reliquæ enim, annuistæ ab annuâ pensione dictæ, non nisi singulis decenniis, cum foedus est redintegrandum, in comitiis particularibus se sistunt mediatè.

§. III. Ceterùm quæ pro publico bonõ communi voce decernuntur, ea in peculiarem redigi Recessum solent, plerumque sub hâc clausulâ: *Datum in Casarea, libera & Sacri Imperii Civitate Lubecâ, sub sigillo urbis, ad quod omnes pro hoc tempore nos consistemur unite Civitates Hansæ Teutonice.* Hîc faciunt verba *Kranzii* lib. 10. Vandal. c. 27. *Quod autem ad negotiationes & mercaturas spectat, multa consti-*

inc-

enerunt anno n<sup>o</sup>. 1418. in conventu Lubecensi de navibus, deq<sup>ue</sup>  
navigationibus & negotiationibus, de communicandis privile-  
giis aut denegandis, deq<sup>ue</sup> aliis rebus, quæ intercurrunt negotiis  
mercatorum. Ea<sup>que</sup> diligenter sunt redacta in scripturam: Cui<sup>que</sup>  
in suam civitatem datur exemplum constitutionum, Recessus  
ipsi vocant. Inter Recessus verò maximè celebris est ille de  
Anno 1579. Tenorem ejus exponit Chytræus lib. 24. Saxon.  
ex formulâ confœderationis renovatæ, cujus verba digna  
videntur hûc integra transcribi. Ita autem habent: *Civita-  
tes Hansicæ Romano Imperio, Cæsari & suis singula Principi-  
bus legitimam & debitam obedientiam præstent, inter se mu-  
tuam benevolentiam & fidem servant, alii aliarum commoda  
promoveant, damna avertant, ac consilio & ope se mutuò ju-  
vent. Pacem religionis & politicam in Imperio sancitam, firmi-  
ter tueantur, commercia in emporiis juxta Recessus, ordina-  
tiones & statuta societatis Hansæ exerceant, contributiones in  
conventibus Hansæ communi consensu indictas tempestivè pen-  
dant. Conventus Hansæ senatus urbis Lubecæ & cæterarum  
Wandalicarum, literis continentibus capita negotiorum, de  
quibus deliberandum est, indicat, easq<sup>ue</sup> metropolibus, Colonia,  
Brunsvigæ, Dantisco maturè mittat, ut de suarum etiam Diæ-  
cesium negotiis, si quid in literis Indictionum monendum est,  
tempestivè inseri possit. Vocati ad diem constitutam compa-  
reant vel tardius accedentes juxta Recessum anni quingua-  
gesimi sexti puniantur. Controversiæ Civitatum, juxta for-  
mam in hoc conventu præscriptam, amicè & jure componan-  
tur, nemo ex Civitatibus Hansæ, propter aliena debita, arresto  
in urbibus detineatur, vias publicas suis urbibus vicinas singu-  
le tutas servant, captos in itinere ad Comitiam euntes Civita-  
tum Legatos communi sumtu civitates liberent. Si Civitas  
aliqua injustè & violenter oppressa vel obsessa fuerit, fœdera-  
te urbes se ad causam ex æquo & bono componendam offerent.  
Dissidia inter Senatus & Cives vicinæ Civitates amicè & ju-  
re component. Proscriptos ex aliis Civitatibus non recipient,  
neque hæc confœderatio aliis conjunctionibus quibuscunque  
huic non repugnantibus non derogabit. Omnes præteritæ offen-  
siones perpetuâ oblivione deleantur. Hactenus Chytræus. Ho-  
diè*

9X  
T  
3839

diè ejusmodi Recessus non amplius scribuntur, ultimis comitiis universalibus Anno 1628. habitis. Interim Lubecenses, Bremenses & Hamburgenses ex speciali indultu atque autoritate sociorum ubique communia negotia, donec hæc de re aliter disponatur, procurant. Dant literas pro more sub sigillo reip. Lubecensis ad Imperatorem exterosq; Principes. Mittunt Legatos & nihil omittunt eorum, quæ restituere Hansam possunt. Cum Rege Catholico Tractatum commercii Hispanici Anno 1607. Madriti initum, Anno 1647. Kal. Septembr. Monasterii Westphalorum, nomine Hanseaticorum renovârunt. Similiter fœdus jam ante aliquot secula cum Christianissimo Rege Gallie ob perpetuam sancitum pacem anno 1655. redintegrârunt, Mense Majô.

CAP. V.

De

CONTRIBUTIONIBUS  
CIVIT. HANSEAT.

Communia conferunt subsidia Civitates, eò quòd communes sumtus faciunt. Est tamen illarum in contribuendo non eadem conditio. Nonnullæ enim quotannis Directorio certam pendunt pecuniæ summam, cetera immunes. Aliæ verò & eæ pleræque ordinariæ contributioni se subjiciunt, quæ, si collata semel pro re natâ forsitan non sufficit, repeti, & ut loqvuntur, per quotisationem simplam, duplam, triplam & amplius augeri potest. Fuerunt quidem superiori seculo in Germaniâ, qui huic collectandi rationi sub violatæ superioritatis titulô se opposuerunt. Verùm frustra. Est enim ea inter socios superstites ad præsens usque tempus usitata. An & quinam hodiè reditus sint Hansæ, hîc dicere non attinet. Illud extra dubium, quod non parum compendii olim ex mulctis, quæ irrogatæ ob delicta adversus publicas conventiones sunt, ærario accesserit.

TANTUM EST.

607



B. M. II  
h. 22,

03361



STORICA

TIBUS  
TICIS,

SPICIIS,

ARCHMAJERI,

mi fistie  
TIUS ab Arnstadt/

d. VII. Julii,  
XIX.

MINORI,  
dianis.

KELII, Acad. Typogr.



KODAK Color Control Patches

Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

